# LECTORI BENEVOLO
## STUDIO THEOLOGICO
## ADDICTO
# FACULTAS THEOLOGICA
## IN ACADEMIA LIPSIENSI
## *S. P. D.*

DE turre Davidis mille clypeos & arma fortium pependiſſe, in Cantico ſuo Regum, quos Sol vidit, ſapientiſſimus memoriæ proditum reliquit. Cant. Cantic. c. 4. Si per turrim Davidis Eccleſiam, per clypeos & arma fortium ὀρθοδοξίας Hyperaſpiſtas intelligamus, à regia veritatis via non aberraverimus. Turres ac arces (permutatim enim ſæpius hi termini ponuntur, & apud Græcos communi nomine πύργοι veniunt) loca munita ſunt, fundamentis ſolidis ſuperſtructa, & adverſus vim hoſtilem neceſſariis omnibus inſtructa. Eccleſia fundamento CHRISTO ſuperſtructa eſt, adverſus quam nec inferorum portæ (conſilia, fraudes & omnis generis machinationes Diabolicæ, ut portæ fuerunt Hebræorum curiæ,) prævalebunt. Matth. 16. In hac mille clypei veritatis ſalvificæ propugna-



pugna-